DISPVTATIO INAVGVRALIS MEDICA.
DE
PLEVRITIDE

QVAM
FAVENTE NVMINE DIVINO
CONSENSV ET AVCTORITATE
GRATIOSISSIMAE FACVLTATIS MEDICAE
IN PERANTIQVA ELECTORALI
HEIDELBERGENSI VNIVERSITATE.
PRÆSIDE
VIRO NOBILISSIMO EXCELLENTISSIMO
EXPERIENTISSIMO
DN. FRID. CHRIST. WINCLERO,
D. SERENISS. ELECTORIS PALATINI
CONSILIARIO, ET ARCHIATRO MERITISSIMO
IN HAC VNIVERSITATE MED. P. P. PRIMARIO,
EJVSDEMQVE p. t. DECANO SPECTATISSIMO.
DN. PATRONO, PRÆCEPTORE AC
PROMOTORE SVO ÆTERNVM COLENDO.
PRO.
SVMMIS IN ARTE MEDICA HONORIBVS
PRIVILEGIIS AC INSIGNIBVS DOCTORALIBVS
RITE CONSEQVENDIS.
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBIICIT.
PHILIPPVS CONRADVS HEIDEGGERVS
HELVETIO-TIGVRINVS.
Ad d. Novembr. Anno cIɔ. Iɔc. LXXXI.

HEIDELBERGÆ,
Typis SAMVELIS AMMONII Acad. Typogr.

Reverendo admodum, Magnifico & Excellentiſſimo.

VIRO.

DN. JOH. LUDOVICO FABRITIO.

SS. Theol. D. & in inclyta Academia Heidelbergenſi Profeſſori Celeberrimo; nec non Sereniſſimo ELECTORI PALATINO CAROLO à Conſiliis Sacris, & Collegii Sapientiæ Ephoro fideliſſimo, Domino Hoſpiti & Evergetæ, alterique velut Parenti æternum ſuſpiciendo.

UT ET

Ampliſſimis, Conſultiſſimis, Prudentiſſimis,

VIRIS.

DN. CONRADO HEIDEGGERO.

Illuſtriſſ. Reip. Tigurinæ Pro-Conſuli.

DN. JACOBO HEIDEGGERO.

Ejusdem Reip. Senatori & Archi-Oeconomo.

Dn. Dn. Mæcenatibus & Cognatis omni obſervantia & ſtudiorum cultu venerandis.

NEC NON.

Reverendo admodum atque Celeberrimo

VIRO.

DN. JOH. HENR. HEIDEGGERO.

SS. Theol. D. & in Schola Tigurina Profeſſori, Parenti amore filiali & obſequio perpetuo proſequendo.

Diſputationem hanc Inauguralem in ſui ſuorumque ſtudiorum commendationem

offert.

PHILIPPUS CONRADUS HEIDEGGERUS.

Author.

Cum extemporaneum ferè me eſſe jubeat inſtans promotionis actus, nemo mihi vitio vertet, ſi de Affectu periculoſo & curatu difficili, brevibus agam. Inprimis cum una Theſis gravis ſufficientem anſam publico examini præbere poſſit: quod enim calamus vix attingit, in conflictu lingua ſatis clarè plerumque depingit.

THES. I.

PLeuritidem itaque à pleura, membrana coſtas ſuccingente dici, ideò, quod hæc pars affecta inveniatur, notum eſt. Pleura nempe Græcis quoquè latus deſignat; unde & membrana, quæ latera thoracis interne ambit, Pleura dicitur. Malè quidam à coſtis denominari dicunt, cùm non coſtæ, ſed membrana coſtas ſuccingens afficiatur.

THES. II.

Synonomicè etiam telum vocatur, eò quod teli inſtar latus pungat, dicitur quoque lateris compunctio, dolor lateris, Morbus lateralis; aliis etiam Pleureſis appellatur. Germ. vocatur das Seiten-Weh/ Seiten-Stechen/ Seiten-Kranckheit.

THES. III.

Conſideratur verò Pleuritis vel in latiori vel ſtrictiori ſignificatu. Latè ſumpto vocabulo deſignat quibusdam inflammationem membri principalis cum putredine, quam febris acuta ſequitur, ſive illa per ſe principalis dicatur, ſive ob vicinitatem aliorum nobiliorum & principaliorum partium. Strictè verò ſumpto vocabulo, notat inflammationem pleuræ, membranæ thoracis internum ſuccingentis. Vide JOHREN *prax. Chym. ſect. 2. c. de Pleurit. p. 215.* Diſtinguitur verò Pleuritis in veram ſeu exquiſitam ſimplicem ſeu ſingularem, de qua hic acturus ſum, & ſpurias, quas brevitatis ſtudio prætereo.

THES. IV.

Deſcribitur itaque Affectus noſter, quod ſit inflammatio membranæ pleuræ, cum dolore pungitivo lateris, difficultate reſpirandi, febre acutâ continuâ, pulſu duro, frequente & inæquali, & tuſſi; ob ſolutionem continui, per affluxum ſanguinis efferveſcentis ſimulque lenteſcentis per arterias vertebrales excitata. THOM. WILLIS *pharmaceut. rational. part. 2. ſect. 1. c. 9. de pleuritid. p. m.* 102.

THES. V.

Genus hujus deſcriptionis eſt inflammatio, quod confirmant autopſia, Authoritates & ſymptomata. De Autopſia & Authoritatibus. Vid. BONET. *Sepulchr. l. 2. Sect. IV. Obſ.* 14. 15. *p.* 498. 499. *& ſeq.* Rationem ſymptomatum vide infra.

THES. VI.

Subjectum Pleuritidis primarium eſſe ſtatuimus membra-

branam pleuram, quæ eſt membrana internam thoracis partem ſuccingens, dura & alba, peritonæo infimi ventris quodammodo craſſior, ortum trahens à tunicis, nervos intercoſtales ex ſpina dorſi egredientes, tegentibus; craſſior eſt in dorſo & vertebris valdè adhæret. Ubique duplex eſt, cujus exterior pars thoracem reſpiciens craſſior & durior exiſtit internâ coſtis alligatâ. Venas habet à vena ſine pari, arterias ab aorta magna, nervos à thoracis vertebris, BARTHOLIN. *anat. ref. lib. 2. cap. 4.* Hanc membranam inflammari poſſe teſtantur authoritates & demonſtrationes Anatomicæ cadaverum hoc affectu mortuorum. Teſte WILLISIO c. l. & BONET. *in anatom. pract. l. antea c.*

THES. VII.

Sequitur nunc ut Affectus noſtri ſymptomata examinemus, quæ ſunt. 1. *Dolor lateris punctorius*, cujus cauſam proximam ſolutionem continui eſſe confitemur; hancque ab affluxu ſanguinis effervefcentis ſimulque lenteſcentis per arterias vertebrales cauſari nulli dubitamus. Cùm enim ſanguis effervefcens per arterias ad pleuram delatus extravaſatur, & ibi hæret: ob affluxum continuum auctus, majus dein ſpatium expoſtulans, diſtendit prædictam membranam exquiſiti ſenſus atque compungit: ita ut dein ſolutio continui, ruptis fibris quibus pleura nectitur, oriatur. Unde dolor qui nunc verſus jugulum, nunc verſus diaphragma extenditur, propter membranæ per totum thoracem continuitatem.

THES. VIII.

Sequitur *Reſpiratio difficilis*, quia ob repletionem, inflammationem & dolorem pleuræ thorax dilatari non poteſt,

eſt, quò enim thorax magis dilatatur, eo magis membrana pleura premitur, quæ cum exquiſiti ſit ſenſus, preſſionem hanc ferre non poteſt ſine ſenſu inſignis doloris, quem evitare omni ſtudio quærit (cum naturale ſit evitare moleſtias quantum poſſibile,) inde partim ob repletionem præternaturalem, partim doloris præcavendi cauſa; ſequitur *reſpiratio difficilis*, quæ inſuper *parva eſt & frequens* eadem de cauſa; cum enim thorax dilatari ſatis non poſſit, eò frequentior eſſe debet, ne dolor adaugeatur.

THES. IX.

III. *Febris acuta continua*, cùm enim dolor lateris ægrotantem corripit à materia morbifica & tota maſſa ſanguinea effervescet in omnibus vaſis, fieri non poteſt, quin febris prædicta excitetur.

THES. X.

IV. *Pulſus durus* inæqualis & frequens partim ex effervescentia ſanguinis prædicta, partim ob doloris acutum ſenſum, talis evadit.

THES. XI.

V. *Tuſſis* ſignum quoque Pleuritidi ſuppeditat, quæ frequens eſt & moleſta, cujus ope impedimenta reſpirationis avellere conamur, plerumque in principio ſicca eſt, in fine verò humida, ſi materia ad exſpuendum jam eſt apta.

THES. XII.

Cum jam in præcedentibus de Affectûs noſtri onomatologia, ſubjecto & ſymptomatibus egerimus; ſequitur ut quoque cauſas examinemus, quas vel proximam & immediatam, vel remotas & mediatas ponimus. Cauſa imme-

mediata & proxima eſt ſolutio continui, à ſanguinis extravaſatione & particulis in ſanguine calidis & bilioſis orta; quæ cùm ſint in motu magno & continuo, copioſè impelluntur & ſpatium majus requirunt, cum à venularum oſculis recipi non poſſint, ut neceſſariò ibi ſanguis ſtagnet, cujus ope membrana pleura extenditur & inflammatur, fibræque rumpuntur: unde ſenſim ſenſimque morbus altiores agit radices, niſi citiùs malo occurratur.

THES. XIII.

Viæ malum ad pleuram ducentes, communiter ſtatuuntur venæ cavæ rami, nimir. vena mammaria vel ἄζυγος Teſte ROLLFINC. *Conſil. Med. lib. 5. c. 3.* Sed hæc opinio meritò ab aliquibus recentioribus rejicitur, cùm enim venarum officium ſit, ſanguinem per arterias ad partes delatum reducere ad venam cavam, & inde ad dextrum cordis ventriculum, nihil in eam partem à qua ſanguinem recipiunt effundere poſſunt; cùm in venis nulla cauſa ſanguinem repellens inveniatur: ſed potius arteriis vertebralibus tribuendum hoc, per quas ope pulſûs cum impetu ſanguis ad partes protruditur, & vel per ruptionem, vel per nimiam vaſorum dilatationem & aperturam expellitur.

THES. XIV.

Remotæ vel Mediatæ cauſæ nunc ſequuntur, quæ ſunt vel *Naturales*, vel *non Naturales* vel *præter Naturales*. In *Naturalibus* occurrit *Temperamentum*. Bilioſo præditi facilius in hunc morbum incidunt: ea propter quod particulæ bilioſæ ſint valde ad motum agiles, ita ut factâ impulſione valida ope arteriarum pleuram verſus, vaſa venoſa anguſtiora, illas particulas excipere non poſſint, ut ita neceſſario

rio ſenſim magna copia ſanguinis colligi debeat, ex qua poſtea affectus ille generari poteſt.

THES. XV.

Ætas, ſi juvenilis ſit, morbum hunc facile acquirere poteſt. Teſte HIPPOCR. *Sect.* 3. *Aph.* 30. ubi dicit. His verò qui hanc ætatem (intellige adoleſcentiam) ſuperârunt, morbis lateralibus, pulmonum inflammationibus corripiuntur, hi enim plerumque calore magno præditi ſunt, tum ob temperamentum, tum ob actiones, quas edunt majores.

THES. XVI

Sexus Virilis plus hic facit, quàm fæmineus; quia plerumque temperamento calidiore gaudent, & ſi non innato, tamen adſcititio. Fæminæ enim frigidiores ſunt, non naturâ, ſed ob vitam quam ducunt ſedentariam, nec enim negandum fæminas æquè temperamento calidiore ſæpiſſimè eſſe præditas, cum exempla habeamus multa, plerumque tamen per conſuetudinem, quæ altera quaſi natura eſt, temperamentum mutant.

THES. XVII.

Nunc cauſæ morbi remotiores *non naturales* ſequuntur, quæ ſunt 1. *Aer* auſtrinus & vernalis, qui per os pulmonibus communicatus, & per poros cutis corpus intrans ſanguinem alterat: vel Gas terræ ita ut pro diverſitate qualitatis major ſæpè fiat attenuatio vel incraſſatio. calidus autem ſanguinem & particulas in eo contentas aliâs mobiles commovet, ut poſtmodum morbus ille dicto modo oriatur. Nec excludendus frigidus, quippe qui particulis, nitroſis &c. plenus; maſſam ſan-

ſanguineam irritare aptus eſt, & præterea exterius corpus ambiens, ejus poros claudit, & ita inflammationem augere poteſt.

THES. XVIII.

Cibus calidus acris vitioſum ſuccum ſuppeditans, qualis eſt ſalſus, aromaticus, infumatus, ut & ejus quantitas excedens, quæ multum Chyli præbet, ex quo dein ſanguis augetur, & vaſa replentur, ut facile extravaſatio fieri poſſit. *Potus* vini generoſi liberalior qui totum corpus incaleſcere facit, in eoque etiam ſanguinem, quo incaleſcente motus augetur, & particulæ in eo contentæ hinc inde agitantur, & cum in pleuram impingunt extravaſantur, inflammationemque excitant.

THES. XIX.

Motus excedens affectum noſtrum augere poteſt, eo enim rarefactio pororum fit à ſanguinis fervidioris influxu, imprimis vero poſt cibum aſſumptum & longam quietem, humores enim ex ciborum multitudine & antecedente quiete detenti, ob motum nimium incaleſcere incipiunt & moveri, atque ita ad partes debiles protruduntur, ut inde extravaſatio ſanguinis fiat, contra *Quies* ſanguinem ſpiritusque cumulat, & lenteſcere facit, calorem imminuit, quo imminuto humores vitioſi abſumi non poſſunt, qui dein in corpore remanent, & variis ſeditionibus anſam præbent.

THES. XX.

Præter naturales res hic ſuum quoque attribuunt. Pulmonum enim inflammatio ſæpe Pleuram in conſenſum trahit, angina interdum quoque in pleuritidem degene-

rat. Laxitas pleuræ & fibrarum muſculorum inter coſtalium: arteriarum in pleuram deſcendentium copioſior ſeges &c.

THES. XXI.

Differentia Pleuritidis deſumitur vel à ſitu doloris, & in deſcendentem, quando dolor & diaphragma verſus tendit, & aſcendentem dum dolor jugulum & claviculas occupat, dividitur: vel ab excretis, ubi alia ſicca eſt cum nihil vel parum exſpuitur, alia humida de qua HIPPOCR. *Sect.* 1. *Aph.* 12.

THES. XXII.

Nunc & ſigna conſideremus, quæ ſunt vel *Diagnoſtica*, ſtatum morbi præſentem indicantia, vel *Prognoſtica* morbi eventum explicantia. In *Diagnoſi* ſigna illa ſuperius in definitione enarrata occurrunt, qualia ſunt Dolor lateris punctorius, Febris acuta continua, Pulſus durus & frequens, Difficilis Reſpiratio, & Tuſſis.

THES. XXIII.

Nunc & *Prognoſtica* tradamus, quæ ſunt vel bona vel mala. Deſumuntur autem à gravitate & remiſſione ſymptomatum, ab ætate, temperamento, viribus & excretis, ſed de his omnibus agere propoſiti noſtri non eſt, quædam ſola hic examinabimus. Qui morbi acuti requiſita tenet, & pleuritidem acutum eſſe affectum non negabit. Si morbo laterali laborantibus ſtatim circa initium ſputum appareat, morbum brevem denunciat HIPPOCR. *Sect.* 1. *Aph.* 12. Si dolor, ſpirandi difficultates, & febris ægrum non adeo vexent, eventus erit bonus. Qui Pleuritide laborant niſi intra quatuordecim dies repurgentur, iis in ſuppurationem de-

deponitur HIPPOCR. *Sect. 1. Aph.* 8. Sputum cruentum, ut & nigrum & fætidum ſignum lethale eſt; quo longius apparet ſputum eò longior morbus erit, teſte HIPPOCR. *Sect.* 1. *Aph.* 12. Si alui profluvium ſuccedat male eſt, teſte eodem. Si dolor, ſpirandi difficultas, febris augeantur, & vires ſenſim evaneſcant, malum pronuntiant eventum.

THES. XXIV.

Hæc itaque de hujus morbi natura, cauſis, ſubjecto differentiis & ſignis dicta ſufficiant. Reſtat ut & curam adnectamus, quæ ſecundum indicationes abſolvitur, quas cum aliis inflammationibus affectus noſter communes habet. Et ſunt 1. *Curatoria* quæ indicat dolorem & inflammationem eſſe auferendam anodynis alterantibus. Hanc excipit 2. *Præſervatoria*, quæ fluxum humorum intercipiendum eſſe indicat, repellentia autem hic vix ob cordis viciniam adhiberi poſſunt. Tandem ſuccedit *vitalis*, quæ viribus per corroborantia proſpicit.

THES. XXV.

Nuncigitur ad remedia properandum, quæ ex tribus fontibus conſuetis deſumuntur, *Chirurgico*, *pharmaceutico & Diætetico.*

THES. XXVI.

In Chirurgia tutiſſimum eſt remedium V. S. quæ in initio morbi adminiſtranda eſt, ut materia evacuetur, per hanc quoque febri ſimul & inflamationi dicto modo medemur. Cucurbitularum applicatio & hic excludenda non eſt, obſervanda tamen omni tempore ſunt ætas, vires ſymptomata aliaque, pro quorum conſtitutione plus mi-

nusve ſanguinis detrahi poterit (niſi ſummus morbus, ſummas exquiſite poſtulet curationes HIPPOCR. *Sect.* 1. *Aph.* VI.) Hoc tamen notandum eſt circa venæſectionem, in principio eam adhibendam, atque purgationi præmittendam eſſe, ut primo materia abſtrahatur, ſanguis eventiletur & avertatur. Hinc HIPPOCR. *Sect.* 1. *Aph.* 24, dicit. In morbis acutis in principio raro purgationibus utendum, & non niſi cum ſumma adhibita circum ſpectione.

THES. XXVII.

In *Pharmacia* evacuantibus, acidum corrigentibus, reſolventibus, laxantibus & abſtergentibus ut & roborantibus utendum. Purgantia adhibeantur blandiora, qualia ſunt. Manna, caſſia, Rhabarb. Syr. roſ. violar. ex. gr.

℞. Extr. Rhabarb. ℈j.
Mag. Scammon. gr. iij.
F. l. a. Pil. no. XIIII. deaur. d.
S. Laxier-Pillen.

℞. V. gramin.
card. mar. ā. ℥ß.
Syr. de cichor. c. Rhabarb. ʒj.
Extr. Helleb. nigr. gr. vj.
F. Potiunc. D. S. Purgier-Tränckl.

A fortioribus vero purgantibus abſtinendum, ne humores motu majore excitati fortius in partem affectam impingant. Alterantia hic quoque locum habent, quæ ſunt, aq. Card. mar. card. B. Flor. cordial. Scabioſ. Chærefol, papav. rhæad. quæ peccantem humorem corrigunt & reſolvunt.

℞.

℞. ▽. card. mar.
benedict.
Fl. acac.
papav. rhœad. ā. ℥j.
mag. dent. apri. ℈j.
mandib. luc. piſc. ʒß.
Laud. opiat. gr. iiij.
Syrup. Scabioſ. ℥j. D.
S. Tranck wieder das Seiten-Stechen.

Reſolventia materiam diſcutiunt & dolorem leniunt, quæ ſunt aq. Cichor. ſcabioſ. puleg. orig. ol. amygd. Externe poteſt pars affecta inungi ol. lin. aneth. Cheir. Viol. amygd. lilior. alb. Nec clyſter leniens hic contemnendus erit, qui parari poterit ex fol. malv. alth. parietar. tuſſilag. ſem. hord. fœni græc. anis. caſſ. fiſtul. Mann. ol. roſar. violar. Dum hæc ita pertractantur, in hoc omni ſtudio incumbendum eſt, ut vires confortentur per aq. borrag. bugloſſ. Scorzoner, conſerv. violar. roſar, ſyr. de hyſſop. Conf. Alkerm. de hyacinth. corrall. rub. margarit. ppt. CC. uſt. & Philoſoph. lap. ocul. ♋. ppt. mandib. lucii piſc. magiſt. dent. apr. Unicorn. foſſil.

THES. XXVIII.

Nunc expectorantibus & ſputum facilitantibus, aggrediendum, ſi quæ opus ſint, quæ materiam craſſam attenuant & præparant, atque exſpuitioni faciliorem reddunt, ipſamque ſi nimis tenuis incraſſando, craſſamque certo modo attenuando, ſi autem incraſſare velimus proſunt plantago, violaria, acetoſa lactuc. fl. acac. nymph. rad. liquirit. alth. fol. malv. capili. ♀. ſem. 4. frig. maj. anis.

Aq. Card. b. papav. rhæad. ſyr. de pom. de tuſſilag. Si verò materiam craſſam attenuare velimus, adhiberi poſſunt Aq. loch. ſani & experti. aq. aſthmat. ad Catarrh. c. ſerpillo Schrœder. fl. acac. c. Hyſſop. &c.

THES. XXIX.

Commendantur exterius ſacculi & unguenta, ut & Cataplaſmata lenientia. Unguentum leniens parari poterit ex ungt. dialth. ol. violar anis. amygd. dulc. Fotus etiam fiat ex fol. malv. bismalv parietar flor chamæmel. violar. ſem. lin. fæni græc. in aq. commun. decoct. qui lateri dolenti calide admovendus eſt.

THES. XXX.

Supereſt ut *Diætam* ſubnectamus, quæ in ſex rerum non naturalium uſu conſiſtit. Aër ſit temperatus ad caliditatem paulum inclinans. Cibus pauciſſimus, levis atque tenuis cum morbus ex acutorum numero ſit, dicit, HIPPOCR. *Sect.* 1. *Aph.* 7. cum morbus eſt acutus tenui victus ratione eſt utendum: proſunt Iuſcula hordeat. ex *carnibus gallinar*, emuls. amygd. contra vitentur omnes cibi acres, ſals. fumo indurati, quia ſanguinem acriorem reddunt. Potus ſit aq. hordeat. in qua cocta ſint ſem. anis. fœnic. paſſul. min. ras. liquirit. vinum modice ſumptum concedi poteſt. Corporis exercitia magna vitentur, ſanguinem enim fervidiorem faciunt. Alvus ſi ſit adſtricta clyſteribus laxetur. Ab omnibus animi pathematibus æger abſtineat, quantum poteſt. Plura addere prohibet feſtinatio. Tu autem B. L. hæc tuo favore & applauſu dignare:

- - - - nec diſplicuiſſe videtur
Feſtinat, lector, qui placuiſſe tibi.

NOBI-

NOBILISS. ATQUE ERUDITISS.

HEIDEGGERE

MED. CANDIDATE EGREGIE!

H ἀπειρίη, κακὸς θησαυρὸς, καὶ κακὸν κειμήλιον τοῖσιν ἔχουσιν αὐτέην, καὶ ὄναρ καὶ ὕπαρ: εὐθυμίης τε καὶ εὐφροσύνης ἄμοιρος, δειλίης τὲ καὶ θρασύτητος τιθήνη: ita divinus COUS, *Medicinæ Princeps* (PLINIO *VII. H. N. 51.*) in Νόμῳ *f. m.* 2. h. e. vertente FOESIO: *Imperitia malus eſt theſaurus, malæque opes reconditæ, iis qui eam tum opinione ipſa, tum revera poſſident, ſecuritatis animi & lætitiæ expers, timiditatis & audaciæ nutrix!* O cedro, o tripode dignum effatum! O monite meliora, CANDIDATE EXIMIE; dicto vel maximè audiens fuiſti; qui cane pejus & angue ἀπειρίην fugiſti, & jam feliciter effugiſti. Tibi favit *natura*, te educavit *doctrina*; *locum* ſtudiis aptum undiquaque inveniſti, παιδομαθίην egregiam es nactus, ſuperaddidiſti φιλοπονίην ardentem: Jam ὁ χρόνος, ταῦτα ἐνισχύσει πάντα, ὡς τραφῆναι τελέως: *tempus omnia hæc ad plenam nutritionem confirmat.* Gratulor profectibus his Tuis excellentibus; quibus magnus δωροδότης DEUS indies felicius augmentum concedat! Perge ea, qua cepiſti, alacritate nobili in ſtadio hoc decurrere, pulveremque applauſus colligere rotis ingenii fervidis, *Noſti* enim, *quam contemta res ſit homo, niſi ſupra humana ſe erexerit;* cenſente SENECA *l. 1. Q. N. in præf.* Preſſe ita ſequeris φιλάρετος veſtigia Celeberrimi DN. PARENTIS, Viri de Eccleſia Chriſti & Rep. literaria, ſi quis alius, apprime meriti, πολυγλωττάτου καὶ πολυμαθεστάτου.

Οὐκ

Ὀυκ ἔςι μείζων ἡδονὴ ταύτης πατρὶ,
ἢ σωφρονοῦντα καὶ φρονοῦντ' ἰδεῖν τινὰ
τῶν ἐξ ἑαυτοῦ.

Non poteſt ulla major PATRI eſſe voluptas, quã hæc,
Prudentem atque temperantem videre aliquem
De ſe prognatum!

exclamo cum MENANDRO! Servet Vos Archiater animæ & Corporis Sabaoth! Sit vobis tutamentum firmiſſimum & æternum decus. Tu autem, Nobiliſſime CANDIDATE, proba Te μὴ λόγῳ μοῦνον, ἀλλὰ καὶ ἔργῳ ἰητρὸν νομίζεσθαι uti eſt ap. Hipp: Sic promovetur DEI Gloria, Salus Proximi, Patriæ decus, Tuum emolumentum, Faxit JEHOVAH! PP. raptim è muſeo meo III. Non: Novembr. CIↃ. IↃC. XXCI.

GEORGIVS FRANCVS,
Med. & Phil. D. PP. Univerſ.
Pro Cancellarius, Sereniſſ. Marchion. Badenſ. Archiater; Acad. Nat. Curioſ. & Italic. Recuperator. Collega, C. P. Cæſar.

FINIS.